DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSICO - MEDICA
DE
REMEDIIS VESICANTIBUS AC RUBEFACIENTIBUS
QUOAD EORUM DIFFERENTIAM SPECIFICAM ET VIRES.

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
GUILIELMO IX.
POTENTISSIMO
HASSIAE LANDGRAVIO REL.
ET
EX GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO GRADU DOCTORIS
MEDICINAE, CHIRURGIAE AC ARTIS
OBSTETRICIAE
PUBLICE TUEBITUR.

VOLRADUS HENDERICUS FRIDERICUS
CHRISTOPHORUS RUBE,
Waldeccus.

Die XI. Novembris. CIƆIƆCCXCIIII.

MARBURGI - CATTORUM
LITERIS NOVAE TYPOGRAPH. ACADEM.

VIRO
PERILLUSTRI CELEBERRIMO
DOCTISSIMO
DOMINO
CONRADO MOENCH,
MED. DR. SERENISS. HASS. LANDGRAV.
A CONSIL. AUL. PROFESS. PUBL. ORDIN.
BOTAN. ETC.
PRAECEPTORI SUO IN AETERNUM
PIE COLENDO

NEC NON
VIRO
ERUDITISSIMO DIGNISSIMO
EXPERIENTISSIMO
DOMINO
FRANCISCO GUILIELMO
SCHUMACHER,
MED. DR. MED. PHYS. SERENISS. HASS. LAND-
GRAV. AC SERENISS. PRINC. WALDECC.
ARCHIATRO ET CET.

AVUNCULO SUO VENERANDISSIMO ET
AMANTISSIMO
OMNI PIETATIS CULTU

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

IN PUBLICUM GRATISSIMI

ANIMI DOCUMENTUM

SACRAS ESSE

VOLUIT.

AUCTOR.

PRO-

PROOEMIUM.

Innumerabile malorum agmen, corpus humanum torquens, ad inveniendam innumerabilem rerum copiam, quae remedia dicuntur, et ad variam eorum adhibendi rationem, ansam praebuit. — Stupiditas, rerum naturae inscitia, superstitio, falsa experientia, jactatioque, retustissimis jam ex temporibus, languidorum, inutilium, immo nocentium farraginem, remediis adeo maxime aestimatis adnumeravere; quod adhuc perfacile in pharmacopoeis cum veterum, tum recentiorum ex parte etiam intelligere possumus. Omnino *quaestio hic locum habet: anne vires multae medicatrices in amplo*

na-

naturae regno, dissipatae ignotaeque adhuc lateant? sed ex immensa huc usque remediorum nomen ducentium, copia, sine dubio pauca tantum vere sic appellari possunt. — Multifarie quolibet fere in corpore, et quavis adeo in corporis parte, modificata vis vitae, variantes nobis ostendit effectus, uno eodemque remedio exortos. Caussas praetermittam, quae naturam, vim et indolem remediorum pro diversis occasionibus, vel augere vel minuere, vel alio modo mutare possunt — fontes, ex quibus dissensionis semina et infelix discordia, fidelissimi juxta usus rationem ejusdem remedii, profluunt. Nam varia argumenta, sana ex ratione progenita, quemlibet vario eventu edoctum, varie ut destinent ad conclusionem, suis ex observationibus eductam, necesse est. Unde nihil aliud, nisi a recta via aberratio, oriri potest. Ad

rect-

rectam, veram et tutam cujusdam remedii aestimationem necesse est, ut curiosissima experimenta cum ingenii acumine optimo antecedant, quorum resultata per veram experientiam affirmata valent. Horum dein Pauca et selecta *medicus sibi eligere debet, jubente hisce verbis* HUXHAMIO „ *Medicum pauca quaedam praestantissimorum de quolibet genere remediorum ad ejus usum seligere, illisque inhaerere, non vero divagari oportet in immensam farraginem, cui nonnulli tam avide indulgent.* "

Prudentem praeterea hanc electionem, comitari debet, notio perfectissima et recta, congrua distinctaque remediorum applicatio, ne omnis fere ejus utillitas evanescat. Quae

vero

vero licet natura ipſa evidenter breviſſimas rectiſſimasque ſemper delineavit vias, multis tamen ex cauſſis, ab omnibus ſtricte non conjungi videntur. Eam ob cauſam, cum mos ita jubet, liceat nonnullas, cujusdam medico practico fere quotidie in uſum venientis materiei, diſtinctiones, ad virium exiguitatem, de rubefacientibus nempe remediis explicare.

---

§. I.

§. I.

Remedium, cui ea ineſt vis, quae, ſi corporis partibus externis applicetur, nervulos vasculaque cutis irritare, caloris, majorem minoremve doloris ſenſum, crebriorem ſanguinis humorumque affluxum in eo gradu efficit, ut vaſa cutis ſubtiliſſima, ad quae alias ſanguis et humores non penetrant, ab iſtis impleantur, ſeu in telam transfundantur cellulofam, ita, ut cutis inde calefiat, rubescat, doleat, tumeat, veſica obducatur et denique ſuppuret; nomine attrahentis, rubefacientis epiſpaticique remedii gaudet.

§. II.

§. II.

Generaliter omnia remedia, quae hoc ſub ordine ampleċtuntur, his in virtutibus conveniunt, niſi res alienae e. g. corporis varia conſtitutio, temporis ſpatium per quod agunt, varius applicationis modus et cet. modo hanc, modo illam, minoris momenti varietatem effeċtus producunt. Modus ergo quo exercent vim ſuam, minime variare videtur, certe autem materies eorum efficax ſpecifica. Jam multum de huius remediorum generis, modo agendi, disceptatum certatumque eſt, et multae inde ortum ducunt hypotheſes, quarum vero nulla hanc rem obſcuram plane illuſtrat. Nonnulli aſſumebant, omnium irritantium aċtionem, mechanico fieri quodam modo, ex formae particularum ſuarum diverſitate e. g. ſpiculis ſalinis, vel aculeatis, hamuli formam referentibus minutiſſimarum par-

particularum figuris et cet., quod merito autem jam diu, per ardua argumenta refutatum, oblivioni traditum eſt. Ignem alii veram eſſe cauſſam exiſtimaverunt, et WEDELIUS 1) minime quidem errat; putans: citiſſimum motum particularum flammae, acutiſſimarum rapidiſſimarumque eosdem producere effectus, rubefactionem nempe, quin et veſicarum excitationem corroſionemque ipſam, ſed conjectura eius, de ignis quaſi frigidi ſeu occulti, acutis corpori infixis particulis, iſtas ſemper facere operationes, quas de remediis rubefacientibus videmus, valde mihi videtur dubia, quia ex his remediis nonnulla, diſpari plane modo vires ſuas praeſtare videntur, et potius acido quodam, quam igneo principio gaudent.

Sin-

1) Amoenitat. Mat. med. Lib. I. Sect. II. Cap. VI. pag. 87.

Singulorum etiam ſinguli effectus jam jam principii efficientis differentiam ſuſpicari iubent. — Copioſa opinionum delibratio, multarumque hypotheſium perſcrutatio, circa occultam horum remediorum efficiendi rationem exortarum, et temporis brevitate et loci anguſtia interdicuntur; modum efficiendi ergo, relinquamus eorumque, per quas efficiunt, virtutes, quantum fieri nunc poteſt, perluſtremus.

§. III.

Quomodo actiones vario diverſorum principio ſpecifico producuntur, experientia tam ex eorum diverſis effectibus quam ex analyſi chemica evidenter expoſuit. De cantharidibus diutius jam medici cognitum habuerunt, praeter vim rubefacientem epiſpaſticamque, eis ineſſe ſpecificam quoddam, magna cum potentia in viscera ſecretioni urinae inſervientia agendi, prae-

praeditum, quod non raro ardor inflammatorius, penis erectio molesta, libido immoderata et cöeundi insatiabile desiderium, stranguria, ischuria, mictus cruentus, inflammatio renum, vesicae, penis et his tandem partibus, gangraena ipsa inde sequantur. Talem vero cantharidum efficacitatem, in nullo alio huius generis remediorum adhuc nobis cognitorum, nemo huc usque observare potuit.

§. IV.

Multa hujusmodi cantharidum violentium effectuum exstant inter auctores exempla, tam per usum externum quam internum exortorum. Sic LANZONI 1) observavit, ex tabaco cui cantharidum pulvis immistus fuerat, statim summum capitis dolorem cum mictu cruento

1) Observ. med. T. I. p. 275.

cruento exortum. SCHENCKIUS 1) narrat: Italum quendam robuſtum ſuccique plenum, ſumto pulvere ex Satyrio, Pipere longo et Cantharidibus compoſito, vomitu continuo et magnis ventris torminibus exagitatum eſſe; auctisque tandem ventriculi univerſique abdominis doloribus, poſt tres dies obiiſſe. FABRICIUS ab AQUAPENDENTE 2) urinae ſuppreſſionem oriri vidit, appoſitis capiti cantharidibus, non quod gaudent facultate urinae ſupprimendae ut ait; ſed quia tam copioſa urinae ſecretio facta fuerat, qua nimis repletae veſicae reſoluta erat vis urinam excernendi.

HEN-

1) Obſerv. med. rariores Lugd. 1644. Lib. VIII. Obſerv. 35 et 40.

2) Chirurg. p. 688.

Henricus ab Heer 1) puellam in collo bubone peſtilentiali laborantem, vidit, quae, cum ei unguentum multas cantharides continens applicaretur, poſtridie mane convulſionibus valde cruciata et matulis aliquot urina ſanguinea impletis, interiit. Praeterea multi alii, tam veterum, quam recentiorum, jam jam vel inopinate, vel experimentis, violentos cantharidum effectus in vias urinae viderunt, ad quorum numerum referuntur Dioscorides 2), Galenus 3), Plinius 4), Para-

cel-

1) Obſerv. med. L. B. 12. 1685. Obſerv. IX.

2) De mat. med. Lib. II. Cap. 66.

3) Lib. I. de remed. compoſ. Cap. I. et Lib. II. de antidot. Cap. X.

4) Hiſt. natural. Lib. XXIX. Cap. 17. Tom. II. p. 509. edit. Harduin. et Cap. VI. p. 611. Libr. XXVIII. Cap. X. p. 470 et Cap. IX. p. 465.

CELSUS, HELMONTIUS, TRINCAVELLUS, MERCURIALIS, MOUFETUS, HOLLERIUS, CHARAS 1), SCHROEDER 2), HOFMANN 3), HILDANUS 4), FORESTUS 5), BACCIUS 6), CABROLIUS 7), BONNETUS 8), WEPFER 9), FRICCIUS 10), VALISNERIUS, TOURNE-

FORT

---

1) STENZELLII Diff. de canthariд. profperae adverfaeque autoribus valetudinis. Vitemb. 1740.

2) Pharmac. med. chym. L. V. Claf. IV. n. 98. p. 340. Ulm. 1649. 4.

3) Clav. Pharm. Schroed. Lib. V. Sect. IV. §. 76.

4) Cent. VI. Obf. 98.

5) Obferv. med. LXXX. Obf. VI.

6) De venenis et antidotis Romae 1586. 4. p. 23.

7) Obferv. 17.

8) Sepulchret. anat. Lib. III. Sect. 24.

9) Hift. Cicut. aquat. p. 306.

10) De virtute venen. med. Cap. 5. p. 161.

FORTIUS, LEMERY, POMETUS, WEDELIUS, BAGLIVIUS, PARAEUS 1), HERRMANN 2), FORSTEN 3), CARTHEUSER 4) &c. &c.

§. V.

De mutatione quam cantharides in ſanguinis maſſam efficere poſſent, huc usque obſervationes et experimenta, omne dubium nondum profligarunt.

BAGLIVIUS 5), etiamque FORSTEN 6), per experimenta edocti ſunt: mixtas cum ſan- guine

1) Opera chir. Francof. ad Moen. 1594. fol. L. XX. de venen. Cap. 28. et in Lanzoni Obſ. med. T. I. p. 147.

2) Cynoſura mat. med. P. II. edit. Boecleri p. 56.

3) Diſſ. med. canth. hiſt. natur. chem. et med. exhib. Lugd. 1775. p. 50.

4) Fundam. mat. med. Sect. VII. §. 5.

5) Diſſ. de veſicant. et ej. Op. p. 581.

6) Diſſ. cit. p. 56.

guine humano cantharides, ſanguinem diſſolvere et ad putredinem diſponere, ſi eodem tempore idem caloris gradus, qui corpori ſano naturalis eſt, adhiberetur. PRINGLE 1), vero PERCIVAL 2) et GESNER 3) contrarium obſervarunt, nullamque diſſolutionem aut putredinem a cantharidum pulvere, ſanguini extra corpus admixto percipiebant. VERATTUS 4) potius ſanguinem per cantharidum admixtionem, coagulari contendit et vidit, licet in ſanguine hominum, diverſi temperamenti, qui etiam variis morbis laborarunt, varia tempeſtate variaque aëris temperie, experi-

---

1) Beobachtung über die Krankheiten einer Armee. Anhang p. 450.

2) Eſſays. Vol. I. p. 183.

3) Sammlung von Beobacht. III. Bd. p. 196.

4) Comm. Bonon, T. II. P. II. p. 109.

perimenta ſua inſtitueret. Generatim ejusmodi vero experimentis, dijudicatum re vera non fieri, num cantharides putredini reſiſtant, illamve promoveant, quis non videt? Cuncta enim et vegetabilia et animalia, humefacta aërique libero expoſita, organiſatione ſua privata in putredinem abeunt. Conjectura igitur talibus experimentis ſuffulta, valde eſt fallax. Et disceptatio eſt inſtituenda, utrum cantharides in corpore vivo, putredinem vel augeant vel defendant?

§. VI.

Quamvis vero emortui, applicatae, corporis partibus, vires exſerunt, cantharides nullas, tamen nullo modo negari poteſt; corpori vivo impoſitae, ſanguinem per certum quoddam acre principium cantharidibus proprium eisque admixtum, aliquo modo alterari,

 unde

unde fortior ſit cordis vaſorumque ſtimulatio, cum velociori et vehementiori per vaſa circulatione; ſine qua nec crebrior urinae ſecretio, nec ſingularis iſta urinariarum viarum violenta affectio locum habere poſſet.

Cujus vero indolis hocce principium ſit paulo poſt aliquantum recenſendum; hic nil niſi cantharides extra vim rubefacientem fortiorem, ſpecifica etiam quadam efficiendi potentia in viscera urinae ſecretioni inſervientia, valere et per hanc facultatem ab omnibus aliis rubefacientibus remediis, discretas eſſe, conſiderandum erit.

§. VII.

Longe ab earum diverſa eſt corticis Daphnes Mezeraei 1) efficacia, quae mitior non

1) Zorn botanologia medica. Berlin 1714. 4. — Haschke diſſ. ſuper Daphn. Gnidii uſu epiſp. —

non ſolum et lentior ſed etiam minime omnino in viscera urinae ſecretioni inſervientia, gravis reperitur. Uſus ejus eſt duplex; externus et internus 2): Externe, calorem pruritum et corroſionem cutis ſuperficialem excitat, unde haec rubeſcit et mediante ejus irritamento, per exhalantia, ſeroſorum humorum copioſus ſequitur effluxus; veſiculas vero vel nunquam vel

v. a. GRUNERS kritiſche Nachr. v. kleinen med. Schriften Th. I. — MURRAY App. Med. Bd. IV. et med. pract. Biblioth. Bd. I. 123. — GEOFFROY Mat. Med. P. III. p. 1069. et P. V. 270. — LE ROI Eſſay ſur l'uſage et les effets de l'ecorce du Garou. Paris 1767. 12. überſezt von Juncker. Verſuch über den Gebrauch und Wirkung der Seidelbaſt-Rinde. Strasburg 1773.

2) Roos de cortice Thymeleae. Lugd. 1778. — WRIGHT, botan. Magaz. 4tes Stück. p. 139. — CULLEN Mat. med. Th. II. p. 244. — GIRTANNER von veneriſchen Kranckheit, p. 389.

vel raro adeo excitat, ut hic ejus effectus, pro nullo merito haberi possit.

Ob hanc suam vim superficialiter agendi, multo diutius ejus usus prolangari potest, absque ullo timore, quasdam internas partes graviter affici, dummodo ad ejus longiorem usum, valens indicatio adfuerit. Cantharides 1) celerius omnino agunt, vehementius systema nervorum irritant, majoremque dolorem excitant, cum mox post applicationem, tum serius quando in vesicam elata epidermis, laeditur; corrodens earum acritudo profundius cutem perforat, unde suppuratio sequitur et earum per vasa absorbentia sanguini pars immixta, multo violentius Daphne Mezerei agit.

§. VIII.

1) Chirurg. Arzneimittellehre. Altenb. 90. p.278.

§. VIII.

Internus usus Daphnes, quo in forma decocti datur, maxima autem cum cautione instituendus est, quod si minori 1) porrigitur in quantitate, lenem calorem in ventriculo tantum, majori autem, ardorem ventriculi cum nausea, siccitatem, vomituritionem et vomitum ipsum progignit, interdum inflammationem adeo et gangraenam 2); nonnunquam pulsus accelerat et totum corpus exaestuat 3). In urinam ita quidem valere ut filamentosa evadat CULLENIUS et EBELINGIUS referunt; nemo vero stranguriam eius usu exci-

1) W. CULLEN Mat. med. übers. von HAHNEMANN, IIter Bd. p. 245.

2) GRENS Handb. der Pharmacol. Th. I, p. 254.

3) CULLEN mat. med. l. cit.

excitatam obſervavit. Sudorem quoque pellit ſine corporis debilitatione notabili 1).

Quae quidem ſatis clare docent, acre Daphnes principium, in majori quantitate ſanguini circulanti admixtum, ſimiles aliorum irritantium diureticorum effectus, minime vero iſtas laeſiones, viarum urinae, producere poſſe.

§. IX.

Prae multis aliis huius ordinis remediis, evidenter Daphne, viribus quibusdam gaudet ſingularibus haud minoris momenti. E. g. non ſolum multo copioſiorem exutorium efficit humorum ſeroſorum egreſſum 2), quam alia huius ordinis medicamenta, v. c. ſinapismi, ruta, cochlearia armoracia et cet. quae quidem

1) Grens Handbuch l. cit.

2) Chirurg. A. M. Lehre l. cit. — Le Roi l. c.

quidem irritant et derivant, tam aegre autem educunt, ut per ea minime ſufficiens vitioſorum humorum, fieri poſſit minutio, neque etiam ut irritantia, tam diu applicari poſſunt; ſed etiam ſaepius juxta hunc frequentiorem, quem facit cortex Daphnes effluxum, per continuatam exutorii nutritionem, in foeminis praeſertim et valde irritabilibus, facillime puſtuloſa (1) rubrave, miliarium non plane abſimilia exanthemata 2) aut ambitum loci affecti tantum, aut brachium, aut totum corpus aut caput ipſum occupantia, oriuntur. Quae vel ex reſoluta reſorbtaque acri Daphnes materia, vel ex illo antea jam ſecreto, iterumque per vaſa reſorbentia, re-

---

1) Celeb. Mönch Syſt. Lehre v. den gebräuchl. Arzneimitteln. 2te vermehrte Aufl. Marb. 1792. p. 395.

2) Chirurg. A. M. Lehre. p. 280.

retroducto ſeroſo, acritudine iſta impleto humore, vel ex quadam ſingulari humorum mutatione, vel ex his omnibus ſimul, produci videntur. Mox ſejunctim haec exanthemata, mox etiam confluxa reperiuntur, et chronica denique facta, non facile curari poſſunt.

§. X.

Licet autem ſingulis hisce remediis, ſingulares etiam innatae ſint virtutes, quotidiana tamen experientia, vim rubefaciendi omnibus plus minusve propriam eſſe, docet. Varietas autem eorum et inter ſe, et ſpecificas quasdam efficientiae modificationes, gravioribus vel levioribus, ad conjecturam praebent, rationibus, anſam: unicuique ad ſpecificam ſuam et ſingularem facultatem, ejusmodi quoque virtutem propriam ſibi inſitam eſſe, una cum iſta omnium

com-

communi potentia: cutem rubefaciendi et vesicas producendi.

§. XI.

Numerus hujus remediorum generis, sicuti omnium etiam multitudo, auctus est, nec forsan quisque, accuratius rem ipsam perspiciens negare poterit; in ista multitudine plura reperiri superflua minorisque aestimanda. Distinguendum igitur erit Selecta inter et Cetera.

Ad Selecta merito numerari tantummodo possunt.

I. Cantharides.
II. Cortex Daphnes et
III. Semina Sinapis.

I. Cantharis 1) est insectum Coleopteromacropteron, cujus tarsi pedum anteriorum articu-

1) SCHAEFFER Elem. Entomol. Ratisb. 1766. in 4 maj. Tab. XXXIII. CARTHEUSER Fundam. Mat.

ticulis quinque, posteriorum quatuor sunt instructi; antennae setaceae, thorace longiores; caput inflexum; os maxillosum palposum; thorax inaequalis, scaber, non marginatus, planiusculus; abdomen, lateribus plicato papillosis; elytra flexilia s. mollia; corpus oblongum fere cylindraceum.

Secundum LINNAEUM 1) duo reperiuntur earum species, Meloe vesicatorius et Meloe cichorei (Chrysomela cichorei Hasselquist) 2), quorum hocce insectum a veteribus descriptum

et

Mat. med. P. I. Sect. VII. Cap. X. §. 1. CRANZII mat. med. et chirurg. Ed. IIda. T. III. p. 120.

1) Syst. nat. Ed. XII. T. I. P. II. p. 697. SCOPOLI Carniol. no. 185. p. 59.

2) Iter 410. No. 101. — Imperati, hist. nat. Lib. XXIIX. Cap. I. p. 901 et p. 921.

et forte inter medicamina receptum fuit. In effectu ambo non valde distant. —

II. Daphne 1), secundum Cl. MOENCH 2) hic frutex ad Classis secundae, Petalostemon, subdivisionem seq. pertinet: Stamina et antherae libera; ovarium superum; flos corollatus, monopetalus, eparapetaloideus; antrum carnosum — Corolla infundibuliformi; limbo quadripartito; staminibus octo inaequalibus; stylo unico, brevissimo; stigmate capitato; Antro carnoso, ovato, globoso, monospermo; spica cylindrica, superne foliosa; floribus rubris sessilibus; foliis lanceolatis deciduis.

Daph-

---

1) Tournefort. Tab. 366. — HALLER hist. I. p. 438. — LINNAEUS Gen. plantar. n. 664. et syst. veg. Ed. XIV. 485. I.

2) Methodus plantas horti botan. et agr. Marburg. a stamin. situ describ. p. 35 et p. 636. Icon. Oederi Tab. 268.

Daphne Thymelaea; D. LAUREOLA et D. GNIDUM L. 1) in virtutibus a D. MEZEREO parum distant.

III. Sinapis alba et nigra L. 2) secundum Cl. MOENCH ad classem primam Thalamostemon ejusque subdivisionem: stamina et antherae libera; ovarium superum, corolla polipetala, eparapetaloidea; calyx polyphyllus; siliqua vera teres, linearis; pertinet. Calyx tetraphyllus, patentissimus, coloratus; corolla tetrapetala, unguiculata; stamina sex, duo opposita breviora; siliqua teretiuscula, mediocris longitudine, rostrata; rostro ensiformi vel tetragono; fo-

3) LINN. syst. veg. Ed. XIV. p. 485. I.

4) Syst. veg. Ed. XIV. 821. 4 et 5. — TOURNEFORT Tab. 112. GAERTNER 2. p. 299. Tab. 143. ALB. V. HALLER hist. stirp. indig. Helvet. T. I. p. 201. Bern 1768.

foliis pinnatis; pinnis imis remotis minoribus; extrema trilobata; pedunculis patentibus: ſiliquis ſubrectis toroſis, hiſpidis; roſtro ſubtetragono levi 1).

§. XII.

Cetera ad hunc ordinem remediorum ſpectantia propter loci anguſtiam nominatim tantum perluſtrabimus, quo etiam noſtro propoſito ſatisfacere credimus, cum in omnibus materiae medicae compendiis et ſcriptis, magna eorum collectio reperitur. Sequentia igitur nominare tantum mihi liceat.

Chryſis ignita 2). Ex ranunculorum familia variae et Anemonum, Piper nigrum et album, Cap.

1) Icon. Blackwel Tab. 29.

2) Linn. Syſt. nat. p. 947. I. Chryſis ignita, glauca, nitida, thorace viridi, abdomine aureo, apice quadridentato, haec in Europ. muris

Capſicum annuum ſ. piper hiſpanicum, Cochlearia armoracia ſ. raphanus ruſticanus. Allium ſativum, Cepa etc.; Euphorbia officin. Urtica dioica, Ruta, Radix Ari, Chelidonium majus, Elaterium ſ. Cucumis aſininus, Naſturtii ſemina, Perſicaria hydropiper, Pyrethrum, Squilla, Cyclaminis radix, Clematis ſ. flammula Iovis. Alcali volatile cauſticum etc.

§. XIII.

Omnibus his vim rubefacientem eſſe communem jam in §§phis antecedentibus, nonnullasque rationes, ex quibus lucidum fit, ſingula non eſſe eadem materia efficienti praedita, probavimus; quomodo vero hoc per diſquiſitionem breviorem evidentius fieri poſſit paululum nunc pertractabimus.

§. XIV.

---

ris frequens. — FABRICII Entomol. ſyſtem. II. p. 241.

§. XIV.

Effectus horum quorumlibet remediorum, licet infallibilis, certus et idem semper esse, per caussis impeditur multas, generaliter tamen propria quaedam, quodvis habet et distincta prae ceteris. Cantharides ante alia hujus generis remedia, indole, quam BAGLIVI 1) experimentis comperti sumus, praeditae sunt, humores corporis animalis corrumpendi et ad corruptionem disponendi, totumque vasorum nervorumque systema irritandi, exulcerandi corrodendique, nec non specifice, urinae secretioni inservientia, vehementissime invadendi. OLAUS BOR-

1) Opera omnia Antwerp. 1734. 4. et Diss. de usu et abusu vesicant. Lugd. Bat. 1704. Exper. 1. 2. 3. 4. p. 648.

Borrichius 1) Friccius 2) Lister 3) Clossius 4) et alii, omnes has cantharidum vires ex mera mechanica earum actione explicare, ſtuduere. — Experimenta vero cum extracto cantharidum ſpirituoſo maxime veſicanti et cum pulvere reſiduo, ubi aculei et hamuli horum inſectorum adhuc conſpici poſſunt, nulla amplius vi exulcerandi praedito, plane ſufficienterque hasce ſuſtulerunt conjecturas 5).

§. XV.

---

1) Th. Bartholini Acta Haffn. V. IV. p. 168.

2) Paradoxa de venen. Aug. Vindel. 1710. 8. p. 161.

3) in notis ad. I Goedartium. De infectis Nro. 43.

4) Nova variolis medendi method. Traj. ad Rhen. 1766. 12. p. 26.

5) Stockar a Neuforn. D. de uſu canth. interno Goett. 81. 4.

§. XV.

Wedelius 1) Stenzelius 2) et Huxham 3) cantharidum vires a ſale volatili acerrimo, ſulphuris penetrantioris atque impurioris copia adjuto, derivant. Contrarium autem ſtatuit Probst 4) et omnes fere ſcriptores chemici in eo conveniunt, hoc ſal non obtineri poſſe; niſi igne vehementiori; et hanc ob cauſſam hoc ſal antea cantharidibus infuiſſe negare conati ſunt. Huic ſi opinioni adhuc etiam adderem, hoc ſal per ignis vehementiam aliquo modo mutatum eſſe; nunquam tamen praeſentia,

1) Amoen. mat. med. p. 387.

2) Diſſ. de canthar. prosperae adverſaeque auctoribus valetudinis. Vitemb. 1740.

3) Opera phyſico med. Ed. Reichel. Lipſ. 1764. in 8. maj. T. II. Cap. 8. p. 115.

4) Diſſ. de ſale volat. canthar. Argent. 1751. 4.

tia, seu saltem ejus basis, plane in eis negare poterit. Aliae iterum hoc probant disquisitiones etiam, e. g. cantharides aqua vel aceto maceratae, vires rubefacientes amittunt, ex quo sequitur in iis aliquid adesse, quod istis fluidis destruitur vel solvitur. Praeterea etiam jam diu hoc sal de se cognitum fecit, per ejus et externum et internum usum, quo irritat, stimulat, dissolvit, et pro varietate diversaque ei agendi occasione relicta, cuti applicatum non solum ruborem excitat, quin etiam non frenata irritandi sua potentia, excoriationem exulcerationemque progeniturum esset Cum FREINDIO 1) ceterum, limites humani ingenii agnoscente et in-

1) Opera omnia medica Paris 1735. 4. Comment. IX. p. 60. 61.

ingenue confitente; qua vi quoque demum modo cantharides humores attingant, neminem satis adhuc explicasse, perfectissime sumus consoni.

§. XVI.

Alii effectum cantharidum compositum, non ex una enim parte, sed ex omnibus simul sumtis deducunt, recte enim judicante GALENO: „ alia est remediorum viribus unitis agentium, alia eorum in diversas partes distinctorum operatio, ac proinde quid quaelibet pars ad totum conferat effectum, curiosius inquirere supersedent " — Alii partem cantharidum resinosum cum acido quodam conjunctam, pro efficaci habebant, quorum vero opinio minime constans reperitur. Nam istae particulae per Spiritum Vini e cantharidibus extrahendae omnino vim corrodentem secum habentes, tales quoque, praecipi-

cipitatis jam ex hoc fluido partibus resinosis, manent, quales antea cum iis erant, nempe corrodentes 1). Evidenter ergo elucet: S. V. una cum resinosis, alias quoque extrahere particulas, quae non solum per S. V. sed etiam per aquam acetumque extrahi possunt; quod cantharidum nota inertia, post macerationem cum his fluidis sat plane docet.

§. XVII.

Aliud nunc ad selecta numerandum hujus remediorum generis, Semina Sinapis scilicet, quantum pro circumstantiis fieri potest, contemplemur.

In Sinapis seminibus 2) etiam acre quoddam continetur principium, quod et virtute sua et

---

1) Stockar a Neuforn. Diss. cit.

2) H. I. N. Cranz. mat med. et chirurg. Ed. IIda. T. II. p. 84. — I. F. Cartheuser Fundam. mat.

et partibus conſtitutivis, valde a cantharidum acri, remotum eſſe videtur. —

Integra Sinapis ſemina carent plane fere odore, contrita vero, peculiarem odorem efflant, nares vehementer irritantem, ſternutationemque excitantem; maſticata, ſalivam eliciunt copioſiorem, ſaporem ſubamarum, aromaticum, mordacem cum caloris ſenſu, linguae et faucibus per aliquot temporis inhaerentem, efficiunt. Deglutita ventriculi actionem motumque periſtalticum augent — ita ut fugiant hypochondriacorum daemones et alvi excretio promoveatur; — urinae ſecretionem copioſiorem reddunt et lentoris in inteſtinis molem incidunt. Per applica-

tio-

mat. med. P. I. Sect. VII. Cap. IX. p. 424. — Kopp. Diſſ. de ſem. Sinap. optima medic. Duisburg 1771. — Storr. Diſſ. de ſem, Sinap. Tubing. 1781.

tionem ad cutem ſtatim fere calorem et ruborem inducunt, quem, nonnullis horis praeterlapſis eryſipelatis ſymptomata ſequuntur; calor nempe urens, rubor intenſior, cutis rigor, dolor modicus, per tactum valde adauctus, pruritus et denique poſt dies nonnullos deſquammatio. Quando vero ſinapiſmi applicatio eodem in loco diutius adhibetur, dolor oritur vehemens et in veſiculam epidermis elevata, ulcerum difficillime ſanandorum, fit cauſſa, nec plane inde exortae gangraenae deſunt exempla 1).

§. XVIII.

Iam vero ex ſequentibus indoles materiesque effectrix, hujus remedii efficaciſſimi, paululum perſpici poterit. Per expreſſionem ex his ſemi-

1) Bergius Mat. med. e regno veg. T. II. p. 580. Stockholm 1778.

ſeminibus nil niſi oleum unguinoſum, blandum, iners, facile rancescens, obtinetur, cui nulla ſeminibus integris vis communis amplius, nec etiam minimus odor alcalinus ineſt 1). Per deſtillationem vero cum aqua, aliud paratur oleum, aethereum, ex flavo fuscescens, valde acre, odorem ſaporemque habens valde pungentem et penetrantiſſimum, in aqua cum qua tranſit, ſubſidens. In hoc acrimoniam peculiarem aromaticam ſitam eſſe et experimenta ZAHNII 2) et Analogia (venia ſit huic concluſioni) nobis declaraverunt. Oleum nempe Cariophyllorum etiam viribus rubefacientibus gaudet et cortices Aurantiorum, malorumque Citri recentes, in quibus eiusmodi oleum

1) ZAHN Diſſ. de Sem. Sinap. Tubing. 1780.

2) Diſſ. cit.

oleum continetur, aliquando pro remedio rubefaciente adhibentur, quamvis in aperto fit: eorum irritandi facultatem, longe penetrantissimam olei essentialis Sinapis non attingere.

§. XIX.

Sinapis istud principium agens, prae aliorum remediorum principiis, praecipue tunc vi valet sua, cum parti, in quam agit, ita adfigatur, ut ipsum illud activum elementum, cito alias avoliturum, intercepta via retineatur, sic etiam in parte minus delicata, morae ope et indesinenter stimulando, plus violentiae exserit, quam in teneriori parte, quam libera patente via velocissime pervadit, vixque tacta quadam fibra ad aliam migrat, humoribus et inquilinis cicurata, sic excitando potius, quam irritando agit; quam facultatem, praesertim de hoc remedio aestimare commovemur.

§. XX.

§. XX.

Ex dictis patet: non unam eandemque in omnibus his valere remediis, materiam; quod et partes eorum diversae et varians eorum vis demonstravere Sin minus hi pendeant effectus una ab eademque materies, saltem concludere possumus: eam non ex aequalibus partibus constitutivis compositam esse. Inde ergo sequitur

Cantharidum potentia in Alcali volatili, Sinapis vero seminum oleo aethereo, penetrandi facultatem, consistere. —

§. XXI.

Quoniam vero ob rerum angustiam de remediis rubefacientibus epispasticisque jam dicta sufficientia nobis existimanda sunt, breviter nunc, quantum fieri potest, singulorum prae-

praecipuam, paululum pertractare volumus electionem.

Ad usum, huius remediorum generis, salutarem et legitimum, sequentes postulantur conditiones.

I) Ut accumulationis humorum morbosae aliqua in parte, solutio evacuatioque, eorum auxilio cessatura, indicata sit.

II) Ut revulsio vel derivatio cujusdam materiae morbosae a parte nobiliori, ad partes minoris momenti, et quae exinde minus periculum capiunt, necesse sit, praecipue ergo,

III) Ut retrogressae materies morbosae, exanthematave revocentur.

IV) Ut incitatio, generis nervosi functionum necessaria sit.

Respiciendum has regulas exercendo, ut quando dissolutionem, evacuationem, revulsionem,

ſionem, derivationemque faciendi conſilium ſit, locus affectus quantum fieri poteſt, proximus retineatur, loco ubi remedium imponendum eſt. Si vero retropulſa elicienda eſt materies, idem locus eſt eligendus, quem antea materia occupaverat morbifica.

§. XXII.

Sine negotio intelligimus, huius vel illius remedii varie modificatam virtutem et agendi rationem, pro magna morborum differentia, certis quibusdam ſub conditionibus, neceſſarie aliorum facultatem ſuperare. Varia corporis conſtitutio; varietas aetatis et ſexus; diverſum morborum genus; mutua vehementia morbi; ſtadiorum transgreſſus; inconſtanter, violenter ſubdoleque intercurrentia ſymptomata: ſingularis variorum morborum ad commutandum in alios, proclivitas; certa quaedam

dam corporis aegroti antipathia; plus minusve alicuius remedii, per certam quandam idiofyncrafiam, debilitata efficiendi facultas, nec minus interdum partium corporis mirabilis fympathia; diverfa applicandi methodus; dispar loci affecti conditio; varius pro applicatione locus et cet. luculenter declarant, omnia haec remedia, pro fpecifica eorum differentia non femper id praeftare poffe, quod praeftat cauta fingulorum electio, et minime rem effe nullius momenti, proximum pro optimo adhibere, immemoremque temporis irreparabilis pretiofiffimi lapfus, noxarumque exinde oriundarum, effe.

§. XXIII.

Supra jam de fpecificis fingulorum virtutibus paullum locuti fumus, quibus praeter iftam communem, cutem rubore obducendi, gau-

audent. Mirum vero nobis non tantopere videtur, ſi alterum plus praeſtare altero, vel noxius eſſe alio, frequentius dictum, vel laudes reprehenſionesque ſaepe in eodem puncto coniunctas legimus. Sed videamus quae demum conditiones, vel omnium, vel ſingulorum applicationem repoſcunt aut refutant.

§. XXIV.

Generatim veſicatoria locum habere non poſſunt, quando vis vitae aucta, per totum corpus modum excedit; vel plethora, bilis, hectica, hydrops, convulſiones, vel eorum ſuſpicio, vulnera capitis, febres ardentes continuae, anni conſtitutio calida et ſicca, nervorum affectiones cum inclinatione ad febrem ardentem, comatoſa febrium ardentium ſymptomata, pleuritis ſpuria, apoplexia ſanguinea et alii morbi ſanguinei, cephalalgia, hae-

morrha-

morrhagiae, aut a ſanguinis mobilitate nimia, aut ab eius reſolutione, aut ab impetu fortiori productae, ſpasmi ab irritabilitate ſenſibilitateque nimia, a ſanguinis commotione, ſtimulo et ſtaſi ſanguinea adſunt. His ſub conditionibus nullo modo prodeſſe ſed multo magis nocere poſſunt, quia eorum irritatio totum corpus percurrens, vaſa cum corde non ſolum ad crebriores incitat functiones, unde auctus humorum circulus, non poteſt non malum reddere pejus, ſed etiam irritabilitas et ſenſibilitas, modum jam excedens, exitioſe augetur et tenſio fibrorum, per minimum irritamentum nunc ita valet; ut hac ſua potentia, omnes functiones corpori ultimam perniciem inferant.

Optime contra huiusmodi remedia efficere poſſunt, cum vitae vires vere langueſcunt, natura ſtimulo indiget, quo actiones neceſſariae

resuscitentur; si lentor frigidus corpus occupavit functionesque lentescunt; quando congestio adest frigida, vel stasis frigida et mucosa affectionesque inde exortae; ubi spasmi, caussam ducentes ex tali stasi frigida, vel stimulo quodam eiusdem principii, serove acri; quum dolores ex materia frigida, coacervata, condensata, obstruente et acri, torquent; ubi ad dolorem vehementem compescendum, alius excitandus est; quando vasa resorbentia ut materiam alienam intus depositam resorbeant, tali stimulo incitari debent et sic porro. Contra haec mala potentissima hujus generis sunt remedia et stimulantia, excitantia omneque corpus vi sua penetrantia, omnes corporis functiones naturales, fortiores recentioresque reddentia, pro salutaribus naturae conaminibus perfecte perficiendis. —

§. XXV.

Cantharidum usus optime convenit in omnibus iis morbis, ubi cum irritatione et excitatione, diutiori, modicus humorum serosorum effluxus, vel probabilis invenitur, vel noxius tamen esse nequit; in quibus solida torpent, vis vitae effoeta et comatosae adsunt affectiones, seu virium lapsus pessimus 1). In febribus quoque lentis seu nervosis ubi humorum evacuatio salutaris habetur 2); In variolarum malignarum secundo tertiove stadio, quando natura eruptionem perficere nequit 3). Ad materiam miasmaticam derivandam in febribus exanthe-

maticis,

1) Baldinger Diss de militum morbis. Vitemb. 1763. §. X.

2) Huxham Op. T. II. p. 81 — 91.

3) Girtanner Abhandl. über die Kinderkrankheiten. Berlin 1794. 8. p. 184.

maticis, veſicatoria optime praeſtare BUCHNER 1), GIRTANNER 2) et multi alii teſtati ſunt. In morborum inflammatoriorum principio ſaltem, facillime noxios inde oriri effectus, jam res ipſa explanare videtur. PRINGLE 3) vero contrarium contendit, utilitatemque loco affecto applicatorum laudat, cum contra, remotiorem a loco affecto applicationem, ut auctae febris dolorisque cauſſam, reiicit. Sic etiam facilius declarare poſſumus, eorum in pleuritide majorem et in peripneumonia minorem utilitatem, nam in hac remotius in locum affectum agere debent. In peri-

 pneu-

1) Diff. de veſicatorior. ad exanth. a nobil. part. avoc. eff. uſu. Halae 1758. §. XII. XIX.-XX.

2) Loco cit. p. 184. et 185. et p. 239.

3) Beob. über die Krankh. einer Armee. p. 162. et ſeq.

pneumonia nota, HUXHAM 1) veſicatoria praecipit, quia remotius, vel revulſorie hic etiam levabant. Ubi in febribus malignis ſurditas ſymptomatica oritur, veſicatoria pone aures et collum magnum afferre levamen teſtatur MONRO 2). Et HOFMANN 3) ſingultum qui ex retrogreſſa oriebatur materia exanthematica, feliciter eorum uſu ſiſtebat. In inflammationibus internis omnis generis eorum uſus multum praeſtare poteſt, ſi neceſſariae vel non negliguntur cautiones, vel ſummum periculum in mora eſt. v. c. in inflammationibus

1) Op. T. II. p. 208.

2) Beſchr. der Krankh. in den brittiſchen Feldlaz. Altenb. 1766. in 8. p. 33.

3) Med. rat. ſyſt. T. IV. P. III. Cap. IV. §. V. p. 367. Ed. in 4.

nibus inteſtinorum 1), viſcerum, angina maligna 2) apoplexia ſeroſa, tuſſi convulſiva, emetica deridente, ophthalmiis et cet. Profunt in omnibus ex ſtatî frigida ortis morbis chronicis e. g. rheumatismis, dolore iſchiadico, arthritide, hemiplegia, ophthalmiis periodicis, odontalgia otalgiaque ſeroſa, lupiis, herpete ſicco 3), gutta ſerena, paralyſi, tumoribus glandularum ſcirrhoſis 4), hydrocephalo 5), herpete 6) et ſ. p.

§. XXVI.

1) PRINGLE l. c. p. 168.

2) MONRO l. c. p. 92. et PRINGLE l. c. p. 152.

3) Cel. MOENCH ſyſt. Lehre der gebräuchl. A. Mittel. Marb. 792. 2te Aufl. p. 392.

4) PERCIVAL in GESN. Entdeckung. B. II. p. 455.

5) ODIER in Samml. für pr. Aerzte. B. 9. p. 347. 351.

6) BLOCH med. Bemerk. Berlin 1774.

§. XXVI.

Canthariides vero iis hominibus, quorum constitutio ita est, ut brevior longiorve earum applicatio, facile excitet stranguriam non conducunt, nec ubi renum, uretherum, vesicae, uteri, seu partium propinquarum inflammatio adest; ubi antea jam aderat mictus cruentus. Porro etiam in corporibus aridis et siccis, quibus minima quoque humorum iactura detrimento est; debilitas ex sanguinis humorumque profluviis, seu exinanitione, longiorem vesicatoriorum usum penitus fere vetat, violentior inde perniciosiorque oritura. In eiusmodi morbis si consilii et per indicationes valentes praeceptum est, ut huius generis remedium praescribatur, quam maxime sinapismi cantharidibus sunt anteponendi, nam eorum applicatio non solum violentam istam cantharidum laesionem viarum urinariarum non

excitat, ſed etiam affectus eorum, minime eo in gradu ſunt timendi, qui ſemper univerſo corpori communicantur. Saepius quoque in caſibus quibusdam mora ſummum producit periculum v. c. in febribus malignis cum maxima virium vitalium fere ſuppreſſione, ubi ſimul ſymptomata minantur periculoſiſſima; in appplexia aliisque ſubſultibus ſoporoſis, ubi minutiſſimum ſaepe diſcrimen vitam necemque inter eſt, nec niſi velociſſime auxilium fit, vis vitae penitus decrepitura, finem imponit ſcenae; hanc ob rationem, crebriorem velocioremque propter ſinapismorum effectum, longe majori cum emolumento, quam cantharides applicantur.

§. XXVII.

Omnino multi proveniunt morbi, quibus mox hujus mox illius remedii efficacia, facilius medendum eſt, praeterea medico practico non ſem-

ſemper ob temperamentum pertinaciamque aegroti licitum eſt unum pro altero praeſcribere: interdum vero per ſinapiſmos, omnium fere conſenſu mitiores, idem aſſequi poteſt finis, et tunc merito primae ſinapismis tribuuntur. Nemo autem credat, nos ſinapismis omnibus ſub conditionibus cantharidum facultatem adſcribere; nam ſi morbi natura validiorem diutiorem repoſcit irritationem, nec facile ſine ulceris artificialis ope profligari poteſt, omnino tum ut cantharides anteponantur, neceſſe eſt; ubi vero unice de mature operante velociſſimoque ſtimulo, ſpes omnis ducenda eſt, ſinapismus ſine dubio praeſentius remedium eſt, quia ſtatim poſt applicationem ad cutem, aliquis ſentitur effectus, aeque vero non a cantharidibus. Pro varia etiam locis applicationis ratione, diutius remanere poteſt ſinapismus, absque timore inde cantharidum violentiores orituros eſſe

effect-

effectus. Dantur quoque morbi nullo modo cantharides, optime contra ſinapismos tolerantes. Cl. AEPLI 1) e. g. cantharidum detrimenta in morbis putridis clare obſervavit. Quod ut nobis videtur, non adeo viribus cantharidum ſepticis, ſed potius earum validiſſimae excitationi irritationique perduranti adſcribi poteſt, quam poſtea diutior, graviorque, irritationi antegreſſa proportionata ſequitur relaxatio, cui demum vis vitae debilitata penitus ſuccumbere debet. TISSOT 2) memorat uſum cantharidum in epidemia atroci quadam funeſtiſſimum morbi exitum conciliaviſſe, cujus demum, ſubſtitutis ſinapismis, omne fere evaneſcebat veſtigium. Porro etiam

1) Pruifung der canthar: im boesart: Fieber Zuerich 1777.

2) Diſſ. de Epid. Lauſ. 1755. p. 51.

etiam post vesicatoriorum vehementiorem effectum saepius in cacheticis, facilius remanent ulcera maligna 1) et gangraenosa quae post sinapismos rarius visa sunt; quod forsan volatiliori leviorique sinapismorum principio efficienti tribuendum est. Inveniuntur quidem exempla de minaci gravi et vehemente sinapismorum efficacia, sed pauciora, et de singulis ad cuncta non semper valet consequentia. —

§. XXVIII.

Corticem Daphnes MEZEREI ad rectam suam et optimam applicationem, prae ceteris, alias et morbi et corporis aegroti poscere conditio-

1) Cl. GIRTANNER l. c. p. 214. hunc effectum etiam emplastro de cantharidibus tribuit, si ad insitionem variolarum adhibetur.

ditiones, quis non videt? Optime convenit in chronicis affectionibus ut remedium revellens et excernens, acres et stasi retentos humores et in omnibus morbis in quibus diutior seri effluxus ad curationem requiritur radicalem. Auxilium inde praestat optimum contra congestiones frigidas, serosas et acres ad oculos, aures et cet. Rheumatismos cum vitiis cutaneis conjunctos, exanthemata retropulsa acria, exsiccationem fonticulorum 1) macula corneae, ophthalmias chronicas et multa alia oculorum morborum genera; tumores, strumas, tumores lacteos, odontalgiam, cophosin, morbos cutaneos infantum, stasin internam frigidam, affectiones pectoris

varias.

1) Celeb. MOENCH. l. c. p. 394.

varias, aſthma, phthiſin pulmonalem, *) cachexiam, apoplexiam, arthritidem, epilepſiam, hyſteriam et ſ. p. 1). In morbis acutis ſinapismi et veſicatoria praerogativas merentur quia velocius eamque ob cauſſam aptius efficiunt. —

§. XXIX.

Sicuti omnium et corticis efficiendi facultas, diverſam ſecundum corporis conſtitutionem etc. ſpecificaeque valde variant vires, Sunt enim cor-

*) In hoc morbo forſan uſus hujus remedii, commodius cum ſetacei quam maxime laudati uſu, ſub coſtis ſpuriis, commutari poſſet, niſi crebra ſeri excretio aegroto noceret. Mitius agit ſetaceo et hanc ob cauſſam multorum Ill. Virorum opinio, quae ſetacei ſalutarem effectum in magna poſuit irritatione, huic conſilio non congruere videtur, ſed omnino irritatio, ſaepius renovato exutorii loco, valde augeri poteſt.

2) V. Le Roi l. cit.

corpora in quibus per longum temporis, applicatio corticis locum habere poteſt et cutis tamen incolumis manet; in aliis mox et optime optatus acquiritur effectus, in aliis tarde et moleſte; locus applicationis mox bonam puramque, mox ſordidam fungoſamque habet ſuperficiem; hic majorem, ille minorem ſentit dolorem et ſ. p. Applicatio ejus adhibetur recte in corporibus humorum ſuccique plenis, quoniam quando eius uſus prolongatur, magna humorum copia educitur, quod arida et ſicca corpora, ſine detrimento ſuſtinere non poſſunt, ubi quando ſibra ſimul rigida et denſa reperitur, rare parvum aſſequitur emolumentum. In cachecticis ſaepe et hujus uſu ſordida oriuntur ulcera, chronica et difficillima ſanatu. In aliis, quorum cutis vel certa quadam diſpoſitione ad exanthemata proclivis, vel corpus valde eſt ſenſibile, non raro per puſtuloſum, miliariis ſimile, occupantur

tur exanthema, de quo jam in §§phis anteced. dictum eſt. Omnes qui ejusmodi noxas moleſtiasque exinde reperiunt, melius ſibi ſuadent, ſi vel hujus remedii uſum penitus vitant, vel ſtatim cum primis ejusmodi veſtigiis, abjiciunt.

§. XXX.

In loci electione optimi ad remedium rubefaciens epiſpaſticumve, autores non penitus conſentiunt. HOFMANN in ophthalmiis ad nucham applicationem, dolores augere, et contra ad pedes, evaneſcere compertus eſt. POUTEAU 1) locum applicationis a loco affecto proximum, vel maxime cum eo conjunctum, optimum putare perſuaſus eſt. Quomodo vero fiat, mox propiorem, mox remotiorem a loco affecto

1) RICHTERS chirurg. Bibl. B. 7. p. 396.

affecto applicationem f. derivationem revulfionemve prodeffe, non femper explicari poteft luculenter; exftant vero inter auctores multa exempla de utriusque applicationis modi praefidio. Poteft vero nec haec nec illa via femper eligi, et interdum vel omne remedium tale omittendum vel regula minus refpicienda eft; praecipue quod contigit in applicatione ad partes nobiliores e. g. oculos; quis dubitet maximam in hoc cafu adhibendam effe cautionem, nulloque modo hic fieri poffe regulae iftius executionem locumque affectum ipfum remedio non obtegi poffe? Trifte invenitur exemplum 1) Anonymi cujusdam, de ejusmodi veficatoriorum efficacia: Chirurgus nempe peritus quidam, contra

1) Chirurg. Arzneymittelehre. Altenb. 90. p. 217.

contra ophthalmiam pueri octo annorum, vesicatorium ad frontem applicari jussit; parentes pueri adhuc vim talis emplastri ignorantes, melius ducebant impositionem ad oculum dolentem ipsum, et ita ergo applicabant, ut et oculus et frons ex parte obtegebatur. Altero mane, chirurgus bulbum oculi etiam cum vesiculis exstructum inveniebat, omniumque optimorumque remediorum ope, cautissimaque curatione, suppuratio non erat avertenda et oculo nil prorsus restituere potuit salutem.

Sed loci et temporis brevitas hasce imperfectiores finire iubent pagellas, de quibus mite leniterque ab Omni Viro Perito inspici tiro adhuc debilis, sperans, dicendo facio

F I N E M.

THE-

THESES.

I.

Medico licet componere medicamenta.

II.

Per menſtrua nihil ſecernitur nocivi.

III.

Nauſea et vomitus non ſemper indicant vomitorium.

IV.

Quies poſt coenam magis prodeſt quam motus.

V.

Cauſſa diverſitatis ſexuum in ovulis quaerenda eſt.

VI.

Dantur morbi ſine cauſſa morbifica materiali.

VII.

Otium plures quam negotium producit morbos.

VIII.

Signa virginitatis omnia ſunt fallacia.

IX.

Sine pulſu et reſpiratione ſenſibili, vita eſſe poteſt minima.

X.

Suppuratio eſt ſecretio pathologica.

XI.

Curatio ulcerum inveteratorum cauta, locum habet.

XII.

Balnea frigida tenellis quoque proſunt.

XIII.

Rheumatismo ſemper eadem cauſſa eſt.

XIV.

Praeſtat medicus, qui agere quam qui expectare neſcit, modo probus ſit.

XV.

Obſtetrices quales vulgo habemus in genere niſi noceant, ſaltem inutiles ſunt.

XVI.

Placentae ſolutio non ſemper naturae relinquenda.

XVII.

Amputationis operatio ſalutaris mox eſt inſtituenda.

XVIII.

Multorum infantum ſtupiditas videtur mihi eſſe ſequela, coitus ſub ultimis graviditatis menſibus nimis fortiter exerciti.

XIX.

Praeparatio infantis ſani in inſitione variolarum ſuperflua eſt.

XX.

Frenuli poſt partum praeſentia certiſſimum non ſemper praebet documentum auxilii caute et circumſpecte adminiſtrati; abſentia vero non contrarium abſolute docet.

DISSERTATIONUM
MEDICARUM
MARBURGENSIUM.

FASCICULUS VI.

MARBURGI

IN OFFICINA LIBRARIA ACADEMIAE NOVAE.

1796.